



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Wulphrannus Ep. 20. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

190 VITÆ SANCTORUM. 20. Marti-
lum tu facies juventus, si vel paucos il-
los annos, quibus vives, integrum cor-
pusculum servabis. Ex Bedâ.

*O quam compositum reddit omnem cor-
poris statum, nec non & mentis habitum
disciplina! cervicem submittit, ponit su-
percilia, componit vultum, ligat oculos, ca-
chinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat,
format incessum.* S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WULPHRANNUS EP. 20. Martij

WULPHRANNUS est Senonum
Pont. idemque Frisiorum Aposto-
lus. Ad hos cum mari contenderet, &
Ministro sacer calicis orbis imprudenti
in undas excidisset, jussit brachium hunc
in aquas tendere. Tendenti continuo or-
bis, spectatores Christo adhæserunt.
Morem vel Gente suâ barbarum magis,
quo victima Diis improbis juventus in-
nocens cadebat, non uno miraculo anti-
quavit. Nam & suspensum puerum à la-
queo absolvit, &, ut geminis aliis, qui
mari exastuanti præda expositi fuerunt,
succurreret, sicco pede nudas perambu-
lavit, & dextrâ hunc, illum sinistra
molliter prehensos ad litus eduxit, mox
meliore aquâ, & Christiano ex more
mersos matri restituit incolumes. Atque
his miris filium etiam Ducis Radbodi
ad Christum pertraxit, sed non Rad-
bodum ipsum. Nimirum jam sacris un-
dis

20. Mart. VITÆ SANCTORUM. 191
dis etiam iste admovendus, cum ex
WULPHRANNO intellexisset, Majores
suos, Ducesque Frisonum omnes (qui
quidem superstitioni dediti fuissent) in-
feris damnatos esse, exclamavit improbo
joco, malle se cum pluribus & Majori-
bus suis etiam apud inferos, quam sine
his, & cum pauculis aliis apud Superos
degere. In hac sententiâ ludibria dæmo-
nis mali firmarunt, qui aureos illi mon-
tes, certè aurea palatia pollicitus est. Et
jam iverat legatus à Radbodo missus,
qui Deorum munera inspiceret: jam in-
specta probaverat oculus fasciatus, cum
focius, quem WULPHRANNUS addi-
dit, vana aedificia unico signo crucis om-
nia destruxit. Radbodus interea prius,
quàm nuntii redirent, ad illos suos plu-
res abiit. *Ex Lippeloo.*

*Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut
exclusis illis introducatur amor Dei & a-
mor patriæ celestis: recedant ab ore arro-
gantia & derogatio, & succedant peccato-
rum confessio & bona de proximis estima-
tio; assumatur continentia & innocentia,
ut contrariis virtutibus contraria vitia de-
pellantur. S. Bern. sent.*

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C.
20. Martij.

Senis ortus AMBROSIUS SANSE-
DONIUS natalem noctem cominu-
nem cū D. Thoma & Jacobo Meyaniensi
ha-